DOMINICI ARUMAEI, ... DISCURSUUM ACADEMICORUM AD AUREAM BULLAM CAROLI 4. QUINTUS...

Dominicus Arumäus, Johannes Ernst Steinmetz, Valenti Gonzaga

ILLUSTRISSIMORUM ET CELSISSIMORUM PRINCIPUM AC DOMINORUM,

DN. JOHANNIS PHILIPPI,

&

DN. FRIDERICI WILHELMI,

Ducum Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Landgraviorum Thuringiæ, Marchionum Misniæ, Comitum in Marca & Ravenspurg, Dominorum in Ravenstein, &c. Dominorum suorum clementissimorum:

Consiliario intimo,

&

Curiæ Provincialis, quæ Jenæ est, Judici Ordinario gravissimo

VIRO

Magnifico, Generoso, Nobilissimo, omnimodâque virtutum ac scientiæ laude cumulatissimo

Dn. JOHANNI FRIDERICO à Brandt/

Hæreditario in Haardorff/ Kleinhelmsdorff/ & Langenleuben/ꝛc.

Domino Promotori suô magno & Mæcenati Augusto,

Huncce Discursum Academicum

In sui recommendationem

Submissâ, & quâ par est, animi reverentiâ

dedicat & offert.

Respondens.

THESIS I.

MOrtuo Imperatore, ne tempore interregni Resp. ad instar navis, quæ Rectore est destituta, detrimenti quid patiatur, Carolus noster lege hac fundamentali saluberrimè constituit, ut quoties sacrum vacare contingit imperium, Comes Palatinus Rheni & Dux Saxoniæ Electores Imperii sint Vicarii, & donec Imperator eligatur alius, æquatâ præsint potestate; quâ etiam in hodiernum usq; diem perfruuntur, frustra reclamante *Marino Neapolitano, qui tract. de Jurisd. p. 4. c. 197. cent. 2.* constitutionem hanc nostram tanquam conditam in præjudicium, (*sic loquitur*) sedis Apostolicæ multis annis postea per Extravagant. Johan XXII. revocatam esse putat: Nam 1. Johannes Papa ante Carolum nostrum vixit, quî ergo constitutionem hanc, utpote nondum latam, revocare potuerit. 2. Extrav. ejusdem Ludov. Bavarus facto Francofurdiæ Decreto restitit, addita ratione, quod scil. Vicariatum Pontificis nulla scriptura, nulla ratio, sed sola usurpatio introduxerit, *Crantz. l. 9. c. 15. in Saxon. Cusp. in vita Lud. Bavari.* Nec 3. ullo jure Pontifex patrimonii Petri limitibus conclusus, falcem suam in alienam messem, & Jurisdictionem Imperii immittere potest, *l. apparitores, C. de appar.* Imò 4. vetustis temporibus curam Imperii defuncto Imperatore non ad Pontificem, sed ad Electores & Principes Germanicos pertinuisse, post alios probat *Gunth. lib. 1. in Ligur. ibi Conrad. Rittersh.* quæ tamen Imperii cura postmodum, ne plurium partium diversa studia moram inducant, ad Vicarios hosce fuit delata.

II.

Quod ipsum, quo tempore factum sit, etsi in obscuro sit, hoc tamen nobis de Palatino extra est controversiam, quod Jus Vicariatus ipsi ante hanc Bullam antiquo tempore competie-

rit, *arg. d. extrav. tit. ne sede vocante*: & *ex Dissertatione Ludov. Bavari apud Cusp. in ejus vita.* De Saxone verò res non æquè est expedita. Putat quidem Freher. *l. 2. ad Pet. de Andlo c. 10.* Eum, quia Palatini titulo ab antiquo gaudet, eodem quoque modo, quo Palatinus (vi scil. & jure Præfecturæ palatii veteris) obtinuisse Vicariatum; Verum vix est, ut Frehero adstipulemur, quia Carolus noster Imperator more suo à veteri observantia, consvetudine aut privilegio hujus vicariatum deducere vix omisisset, si ante ipsum Saxoni Jus vicariatus competiisset. Nec rectè Carolus eodem Jure Ducem Saxoniæ se frui velle dixisset, si ante ipsum jam eo jure potitus fuisset; Per hanc igitur Bullam Saxonem in vicariatu Palatino adæquatum esse arbitramur.

III.

Palatinus & Saxo ergo totius Imperii vicariam administrationem divisis inter se limitibus obtinuerunt; totius scil. Imperii Teutonici. Nam Romanum Imperium, quale tunc erat, cum in duo regna esset divisum, in Lombardicum & Teutonicum, in Lombardico seu Italico Vicarii peculiares & varii fuerunt: Sic Subaudiæ Dux se perpetuum Imperii Vicarium scribit, *Ja obm. de S. Georg. z erb. V. car. ueg. n. 5. de Feud.* & quidem ex privilegio Sigismundi *Tessaur. in præfat. decis. n 14.* Sic Carolus noster Regni Arelatensis Vicarium creavit Carolum VI. Viennensium Delphinatem, *Bodin. lib. 9. de Rep. c. 9. ubi sibi est contrarius:* quâ in re tamen posteriores Imperatores non æquè indulgentes fuere; Sanè, cum Carolus V. a fratre Ferdinando peteret, ut Philippum filium Imperii per Italiam & Belgium cum plena potestate Vicarium constitueret, Ferdinandus assentiri noluit, quod diceret, tantum de Cæsarea Majestate & dignitate, quam integram & illibatam tueri recepisset decessurum, quantum ex ea alteri concessisset. *Thuan. in fin. lib 6. histor.* Id unum hic observare licet, quod quia Subaudus, Hispanus in universa Insubria & Hetruria *Bodin. d. c. 9.* & alii se in suis territoriis vicarios Imperii esse fatentur, eo ipso se subditos ejusdem esse concedant. Si enim vice Imperatoris suis in ditio-

tionibus sint, ut & eum, cujus vices sustinent, agnoscant, necesse est, *l. 1. C. de offic. Vicariat.*

IV.

Divisis itaque inter se limitibus regnum Teutonicum; quod per Excellentiam Imperium vocari, solet Palatinus & Saxo gubernant: Et quidem Palatinus in partibus Rheni & Sveviæ, & in jure Franconico; Saxoniæ vero Dux in illis locis; ubi jura Saxonica observantur. Duplici enim jure illo tempore Imperium regebatur, Franconico; quod tractum Rheni Franconiam, & Sveviam, sub qua etiam Bavariam, Austriamque ad Alpes usque, & Saxonico, quod gentem Saxonicam ad mare Balthicum & Sarmatiam complectebatur, *Magnif. & Nob l. Dn. Ordinarius, Præses, in suo tract. de Comit. c.7. n 12.* Et quanquam dicendum videtur; hodiè Electoris Saxoniæ Vicariatum ad illas Provincias, ubi jam Jus Saxonicum silet (olim enim usum Juris Saxonici latius patuisse; non tantum ex *Æn. Sylv. in Europ. c. 31.* constat, sed etiam Regni hæc Lex non obscure ostendit, imò, etiamnum hodie, non in Saxonia modo, sed & in pluribus aliis locis vigere, Historici & JCti produnt) extendendum non esse, ex eo; quod A. Bulla Saxonem hîc expressè ad loca illa, ubi Saxonica servantur jura, restringit; verius tamen est Vicariatum omnibus illis in locis, etiamnum, in quibus tempore Bullæ hujus valuit, vigere, cum 1. Jus Saxonicum non causa privilegii, sed demonstrationis gratiâ sit adjectum, & 2. Imperialia privilegia plenissimè interpretari debeant, *l. pen. C. de Constit. Princ.*

V.

Quæri hic quoque potest, an Principes Saxoniæ Jure Provinciali Saxonico in feudis quæ ab Imperio habent, utantur? quod affirm. argum. eorum, quæ ex *Bl. tradit Ludov. de Molin. lib. 1. c. 13. n. 50. de Hispan. primigeniis*, siquidem Imperii feuda regulantur secundum consvetudinem Provinciæ, in qua sita sunt *Rosenth. c. 1. concl. 14. de Feud.*

VI.

An vero, uti mortuo, ita etiam absente Imperatore Vicarii potestatem suam exercere possint? pro Negativa videtur facere A. Bulla, quæ tantum in eo loquitur casu, quo vacat Imperium, & quando est sine capite *in Princ. hujus. cap. 5. juncto §. 19. c. 1. & §. 2. c. 2.* Pro affirmativa vero facit, *1. c. præsentia ext. de testat.* 2. quia Vicariorum potestas ordinaria est & perpetua, quæ alium substituendo Vicarium interrumpi non debet, & 3. quia in relato privilegio in textu nostro, non tantummodo casus mortis, verum etiam absentiæ exprimitur, sicuti apparet ex confirmat. privilegii Carol. V. Imp. **vber des Pfaltzgrafen Vicariat Ambt** apud *Goldast. in part. 1.* **Reichssatzung** *fol. 241 in verb.* **Wann Römische Keyser vnd König vber Berg gezogen seyn oder ziehen**, (quod privilegium etsi de Palatino solummodo loquatur, rectè tamen etiam ad Saxonem extenditur *per §. 2. A. B. hoc cap. 5.*) ergo etiam casus absentiæ continebitur in hoc cap. 5. tanquam in referente, *argum. l. ait. §. 1. de Re Judic. Decian. Consil. 101. n. 19. vol. 2.* Quid dicendum? Distingvi posse putamus, an Imperator alii vices suas demandaverit, & cessare Vicariorum potestatem; an vero nullo post se relicto mandato fines Imperii reliquerit, & tunc ad Vicarios ejusdem curam pertinere. Fundamentum distinctionis ponimus in observantia, quæ ut optima est legum interpretatio, *l. 32 & 37. de Leg.* Sic quoque concessionis factæ est declaratio, cùm tantum præsumatur concessum, quantum observatum. *Lud. Rom. Cons. 271. n. 4. Decius Cons. 517. n. 7.* Observantiam autem probamus Exemplis Heinrici VII. *Dubrav. Histor. Bohem. lib. 20. princ.* Sigismundi. *Nicol. Serrar. lib. 5. in Archiep. 48. rer. Mogunt.* Caroli V. *Crusius part. 3. lib. 11. c. 7. Princ. Annal. Svev.* qui omnes profecturi certos Vicarios constituêre.

VII.

Et cum potestas Vicariorum in non prohibitis cum potestate Imperatoris sit æqualis *l. 1. de off. Vicar.* & *hic c. 5.* ubi *Imperator feuda principalia, quæ vulgo* **Fahnenlehn** *vocantur, duntaxat excipit;* reliqua ergo omnia negotia expedire vicariis permit-

minit; dictio enim, *duntaxat*, taxativa est, casumque illum unicum excipit, & cœteros, ut non exceptos, ad Vicariorum curam pertinere innuit *l. 1. de R. J. Magnif. Dn. Præses d. tract. de Comit. c. 5. n. 5.* ideoque colligitur, Vicarios durante Vicariatu adinstar Imperatoris (minuenda enim illorum sententia, qui Imperatori cum Camera Imperiali in Jurisdictione concurrentiam denegant) & ipsius Aulæ, præterita Camera Imperiali rectè compellari & judicia exercere, R. A. *anni 1521. tit.* Römischer Keys. Majest. geordnet Cammergericht / *in rubr.* rechtlich fürnemen. §. zum vierdten. Quod si tamen litem intentare alicui cupiens malit adire Cameram, utique in Causis ad ipsam spectantibus potest. Cameræ enim jurisdictio cum sit ordinaria, *Gail. observ. 41. n. 1.* morte Imperat. non expirat; & anno 1612. cum Rudolph. II. in fata concederet, Camerales nihilominus in judicando suum obiêre munus, quo casu tam Saxonis quàm Palatini nomine & communi sigillo processus decerni tandem obtinuit. *Buxtorff. th. 60. hîc.*

IIX.

Datur itidem Vicariis potestas ad beneficia Ecclesiastica præsentandi, *hîc.* tùm ratione *primariarum precum*, quæ sane longè ante Rudolphum I. in usu fuerunt, uti colligitur ex diplomate Cæsareo quod extat in vita ejusdem, *Paralip. ad Ursperg.* & quidem non ex indultu & Privilegio Papæ, uti existimat *And. Gail. 2. Obs. 155. n. 7.* sed ex superioritatis jure, & antiqua ac approbata consvetudine à Divis Roman. Imperatoribus & Regibus observata, uti ipsi testantur Carolus noster & ejusdem filius Wencesl. *in suis diplomat. apud Freber. d. lib. 2. c. 6.* tùm ratione *Juris Patronatus*, quod Cæsari in Imperio vel per fundationem, constructionem, præscriptionem, aut etiam per donationem competit *Restaurus q. 8. n. 26. de Imper. Marta Neapol. c. 2. n. 40. n. 7. de Jurisd.*

IX.

An autem Cæsareæ Majestati virtute primariarum precum in territorio Principis alicujus Augustanæ confessioni ad-

di-

dicti beneficium vacans in alium conferre liceat? Negat hoc Author Consilii, *quod extat inter decisiones S. Lwanmanni post decis. 8.* idque ideo, quod privilegiatæ hæ preces papali indultu & concessione Imperatori sint collatæ, vnd also weiter nicht/ als die Jurisdictio concedens sich erstrecket / wircken vnd operiren mag. Siquidem causa secunda tantum potest, quantum ipsi infunditur à prima, *l. si quis domum § 5. locati.* Nun aber seye aller geistlicher Gewalt vnd Jurisdictio Papalis gegen die Verwandte Augspurgischer confession gäntzlich suspendiret, *per Constitut. Religios. anno* 1555. Verùm cùm hasce preces non papali concessione, sed vi superioritatis Imperatori competere supra diximus, utique probabilius fuerit, id Cæsari concedere, dummodo tamen is, qui offertur à Cæsare, Religionis Pontificiæ non sit, propter nim. libertatem Religionis, quam Constitutio Imperii permittit R. A. *de anno* 1555. §. Vnd damit solchen Frieden, etc.

X.

Tribuitur insuper Vicariis facultas reditus & proventus Imperii colligendi, Renten vnd Gefälle einzusamlen / non vero eosdem consumendi seu lucrandi, *l. 4 C. ex quibus causis maj. juncta l. qui negotiationem de adm. tut.* Est enim hoc munus honorificentissimum, adeoque à viris Principibus pro magno precio commodoque haberi debet. *Casp. Boet. c. 1. n. 17. de decim. tut. præst.* maximè, quia ipsi sufficientia sibi possident, ut ita consumptionem vix sine crimine sordiũ facere queant. Quod si tamen de suo impensas fecerint, has utiq; deducere possunt, *argum. l. idem & in fundo § 9. D mand.* nec humanitati aut juri conveniens est, præter officium laboriosum etiam damnum in re bene gesta sentire, *l. 7. D. quemadm. testam. aper.*

XI.

Porro Vicariis quoque conceditur potestas investiendi de Feudis, & juramenta fidelitatis, eo scil. casu, quo durante Vicariatu annus petendæ investituræ præscriptus finitur, vice & nomine Sacri Imperii recipiendi; quæ tamen per Regem Ro-

ma-

manentum postea electum suo tempore omnia innovari,& denuo sibi ipsa juramenta præstari debebunt. Excipiuntur hic Feuda Principum, & illa, quæ Fahnenlehn vulgariter dicuntur, quorum investitura & collatio soli Imperatori est reservata, adeoque ad Vicarios non pertinet, nisi tempore indulto præterea ipsis Imperator nondum adfuerit, hoc enim casu, ne scil. periculum Imperio vel Principibus Vasallis creetur, ad mandatum Imperatoris Vicarii horum quoque Feudorum investituram facere queunt, *ex Constit. Caroli V. Wormatiæ sancita anno 1521.*

XII.

Et quia plus esse videtur de Feudis hisce cognoscere, quam investituram eorundem facere, propter nim. casum succumbentiæ & partium præjudicium, colligi inde non ineptè potest, Vicarios de hisce quoque cognoscere non posse, facit *hic textus in* R. A. *anno* 1521. §. Ob auch Sachen vorfielen.

XIII.

Comes tamen Palatinus omne genus alienationis seu obligationis rerum Imperialium hujus provisionis tempore expressè sibi noverit interdictum. Et rectè; Ideo enim vicariatus ei demandatus est, ut per eum Imperio consulatur, quod fit illud augendo, non dissipando. Deinde, quia ipse Cæsar juramento facultates Imperii non distrahere, oppignorare, aut alio quovis modo deteriorare promittere cogitur. *Schleid. lib. 1. de pac. Rel. §. 8. Capitulat. Ferdin. II.* Quod etsi alii constanter servarunt, magis valentes avari negando, quàm concedendo perjuri videri; tamen ab aliis contra factum, qui multa de Imperio alienando & oppignorando in eas, quæ ante oculos sunt angustias Imperium redigerunt, ita, ut hodiè reditus tanti vix sint, ait *Schneidew. in tit. de heredit. quæ ab intest. rubric. de Success. Fisci n. 5.* quanti disponendis & alendis postis satis est.

XIV.

Eodem jure provisionis, *inquit Bulla*, Illustrem Ducem Saxoniæ frui volumus in illis locis, ubi jura Saxonica servantur sub omnibus modis & conditionibus, sicut superius est expressum; unde apparet, maximè interesse Electoris Saxoniæ, jus Saxonum servari, & in viridi observantia manere, & ideo, cum Saxoniæ Elector sit protector & defensor Juris Saxonici, *Petr. Heig. l. 1. q. 4. n 35.* non immeritò in omnibus judiciis, ubi jura Saxonica servantur, plurimum tribui interpretationi & declarationi electorali *And. Rauchb. lib. 1. q. 40.*

XV.

Imperator sive Rex Romanorum ubi conveniri debeat? Coram Comite Palatino S. R. Imperii Archidapifero Electore Principe §. *fin. h. t. 5* quod tamen judicium non alibi præterquam in Imperiali Curia, ubi Imperator seu Romanorum Rex præsens extiterit, poterit exerceri. Et quanquam alii nomine Imperialis Curiæ Comitia intellecta velint, nos tamen Aulam Imperatoris intelligendam hic putamus, tùm, quod & hæc Imperialis curia vocetur, *A. B. c. 27. §. fin.* tum, quia alias verba hæc, *ubi præsens extiterit*, essent sine operatione, dum adjicerent id, quod rei suâ naturâ inest, siquidem olim Imperatores Comitiis semper ipsi, & non per Commissarios, ut hodiè inter & præfuerunt. In quibus vero causis Palatinus cognoscat, adhuc inter multos controvertitur, cum verba Imperatoris hic *generaliter & indefinitè* sint concepta; super causis, pro quibus impetitus fuerit, von Sachen wegen / deren er angewulet wird / quæ tamen alii cum temperamento accipiunt, atque ad causas tantum trahunt civiles, pecuniarias & proprias, *Vultej. in l. 1. n. 7. uti feu. vel clariss.* Hoc constat, quod in casu exauthorationis seu Depositionis, non solius Palatini cognitio, sed omnium sit Electorum, *argum. formulæ privat. Adolph. & Wencesl. Aventin. l. 7. Ann. Bojor. fol. 733. Vultej. d. l. 1. n. 7.* Est autem hoc Privilegium Comiti Palatino primitus consvetudine indultum, postmodum vero hac Bullæ constitutione ipsi confirmatum, quod

sanè

sanè contra Imperatoris Majestatem & dignitatem non est, ut sibi somniat *Bodin. l. 2 de Rep. c. 6.* siquidem coram Comite Palatino convenitur non ut superiore, aut æquali, sed quia ipse deposita quodammodo Majestate Imperatoria cognitioni Comitis Palatini, quantumvis inferioris sese submisit, quod ipsius dignitati officere nequit, *l. est recipiendum de jurisd.* Deinde, quia vel concedente ipso Bodino nec Regis sui Galliæ officit Majestati, quod coram judicio Parlamenti, cui tamen non Principes, sed saltem literati & Nobiles intersunt, stare cogatur, nec Electoris & Ducum Saxoniæ dignitatem lædit, quod coram Assessoribus Curiarum supremarum, vor ihren Chur F. und Fürstlichen G.G. Hoffgericht wegen derselben Cammergüter conveniantur.

COROLLARIA.

I.

Serenissimos Imperii Vicarios posse utriusque consensu pro tuendâ & conservandâ Repub. Status etjam inconsultis coelectoribus suis, vi Vicariatus convocare, non dubitamus, *Magnif. Dn. Præs. in suo tract. de Comitiis c. 3. n. 53. cum seqq.*

II.

Ex eo, quod mundi Dominus Imperator perhibetur, *ex l. deprecatio D. ad l. Rhod. de jact.* non rectè colligitur, Imperatorem etiam rerum in mundo existentium Dominum esse, argumento Patrisfam. qui domum suam variis inhabitandam concessit, nec tamen propterea, ut ædium, ita quoque rerum illis contentarum Dominus est & manet; quapropter etiam Imperatores in Comitiis non per modum Imperii, sed blandæ compellationis sibi subvenire petere solent. Quibus probè consideratis, si non Cæsaris sunt privatorum bona & facultates, quis eas Principum esse dixerit? Cavendum ita-

itaque ab iis, qui dicunt, non modo personas omnium illorum esse, illisq; obnoxias mancipio & nexu teneri; verum etiam res omnes populorum atq; fortunas ita eorum esse proprias, ut usu tundaxat & fructu singulorũ esse videantur. *Adam Keller l. 2 c. 8. de off. Jurid. Polit. Magnif. Dn. Præs. in suo tract. de Comitiis cap. 5. n. 93 & 98.*

III

Ad Marschallum Pappenheimium pertinet non solum Statibus in Comitiis & ipsorum Nuntiis hospitia adsignare, verum etiam nomina ipsorum postibus adscribere, quam adscriptionẽ, si quis deleverit, adinstar falsi reus tenetur *l. 1. C. de met.* nisi ædes hospitum immunitate securas inscriptione notaverit *argum. l. 5. C. de met.* quales sunt ædes Grammaticorum, Professorum & Doctorum Legum *l. 6. C. de Profess. l. fin. C. eod. l. 8 C. de met. & Epidem. Magnif. Dn. Præs. d. tr. de Com. c. 6. n. 64. Dn. Lim. J. P. lib. 9. c. 1. n. 78.*

IV.

Hospitum immunitate etiam Poetas gaudere, rationis & juris esse arbitramur, *Magnif. Dn. Præses d. tract. c. 6. n. 66. cum seqq.*

V.

Populum Romanum Lege Regia omnem potestatem suam in Principem transtulisse, & quidem *abdicative* colligimus *ex Const. Deo, de concept. Dig. §. 7 v. & nemo juncto §. 2. Inst. de adempt. legat. rubric. D. de adim. vel transfer. leg. l. 5. eod. tit. ex l. ult. C. de Leg. ex l. 1. C. de sum. Trinit. R. A. 1521. sub tit.* Ordnung des Landes Friedens / *princ. ibi*, entbieten allen vnd jeglichen vnsern vnd des heyligen Reichs Churfürsten / Fürsten / Prælaten / Grafen / etc. Dissentit *Dn. Limn. J. P. l. 1. c. 12. n. 92.*

F I N I S.